





1. Olearij s. Gottfr. / diff. de Morte et vita  
 Sidellum cum Christo, Lipsia 1710.  
 2. Olearij s. Joh. / diff. de correptione  
 Concionatoria, Lipsia 1684.  
 3. ————— diff. de Lachrimis Christi sub  
 ingressum Hierosolymorum fusis,  
 Lipsia 1683.  
 4. ————— diff. de resurrectione spiritua,  
 li Lipsia 1698.  
 5. Oporini s. Joach. / programma de Demon,  
 ratione Spiritus ac virtutis.  
 6. ————— diff. de usu docto Simplici,  
 fato contra scepticos, Goettinga 1738.  
 7. Ortlob s. Joh. Christopher / diff. de Samue,  
 le Iudice et propheta non pontifice  
 aut facerote iudicante Lipsia  
 8. ————— diff. de pacto Davidis et Abneri  
 contra Iacobum, illico, Lipsia 1709

n. 2624.

נשיקות דזר ושנא  
AMORIS ET ODII OSCULA  
*Cant. I, 2. VI, 3. Prov. XXVII, 6.*  
DISSERTATIONE  
DE  
**OSCULO SANCTO**  
*Rom. XVI, 17.*  
EIQUE OPPOSITO  
**OSCULO JUDÆ**  
*Luc. XXII, 48.*

Eorumque MYSTERICIS, juxta Sacras S. illustrata  
Christo Domino, Amoris, Gratiae et Iræ aeternæ  
*Prov. VIII, 21. XXI, 20. Matth. V, 19. Deut. XXXII, 34.*  
*Jer. L, 25. Rom. II, 5. 16.*

ARCHITHESAURARIO Propitio  
Quam sub PRÆSIDIO  
**PAULI. GYÖNGYÖSSI. A PETTYEN,**

Illust. Eccl. Engl. Presbyteri S. S. Th. D. et Pr. P. O.  
h. t. Venerab. Fac. Theol. Decani,

DEFENDENS  
**WILHELM. GUSTAV. NUGLISCH,**  
Palæo-Marchicus, S. S. Th. C.

In Monumentum Pietatis. *Pf. XII, 6. 9. Prov. X, 7.*  
Stipendii Werlieniani

In Templo Academ. die XI. Septemb.  
Anni MDCCXXXVIII. Hora X-XI. publicavit.

---

RECURSA M D C C X L I.

(4)

155  
SCULPTORI  
OSCULUO SANCTO  
OSCULUO IUDICIE  
ARCHITECTUS SANCTO  
PRAEGERE SANCTA PELLITER  
ARCHITECTUS SANCTO  
ARCHITECTUS SANCTO  
ARCHITECTUS SANCTO

VIRO  
EXCELLENTISSIMO  
AC  
GENEROSSISSIMO,  
DOMINO,  
DN. OTTONI  
DE STOSCH,  
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
BORUSSICÆ  
RERUM FEUDALIUM  
ARCHIVARIO.

DOMINO  
HENRICO AUGUSTO  
STEINBERG,

AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI  
A CONCIONIBUS SACRIS,

SENATUS ECCLESIASTICI MEMBRO  
MERITISSIMO,

MÆCENATIBUS SUMMIS,

FAUTORIBUS AC PATRONIS  
MAXIMOPERE COLENDIS,

EXERCITIUM HOCCE ACADEMICUM

IN TESSERAM DEBITÆ OBSERVANTIAE

DAT, DICAT, DEDICAT

RESPONDENS, A

WILHELMUS GUSTAVUS NUGLISCH,

PALÆO-MARCHICUS.



## I. N. D. N. J. C.

### §. I.



rimitia Ecclesia. Ch. Act. IV, 32.  
de hac meliori nota commenda-  
tur, quod eorum, qui crediderant,  
erat cor & anima una, quorum  
tanta fuit συνδεσμός: Eph. IV, 16.  
Col. II, 18. ut multa licet essent  
obedientium corpora, unus tamen  
spiritus regeret omnes, unde una  
vox omnium 2. Sam. V, 1-19. XI, 12. 1. Reg. I, 39. Unus  
vero spiritus dicitur, non naturalis per transmigratio-  
nem Pythagoricam, sed supernaturalis & gratia. Num.  
XI, 17. 25. Heb. X, 29. ut plura membra eaque diversissi-  
ma, humani corporis systematis, ab una reguntur anima,  
ita hæc corporis mystici Christi. D. 1. Cor. XII, 11. 27.  
uno spiritu moverentur, quo collineatur. Num. XIV, 24.  
quo Calebo tribuitur spiritus aliis diversus a reliquorum  
X. exploratorum spiritu. Nempe, sicut consanguinitas  
sororum quandam ingenerat, ut secreto instinctu movean-

A

tur,

• • •

tur, dum cognatorum res agitur Gen. XLII, 24. XLV, 1. 2.  
 14. 15. 1. Sam. XI, 4. Sic etiam fideles ex συμβίβασι  
 ejusdem Spiritus. Act. XX, 37. 38. commoveantur ad  
 mutuam sympathiam. Act. XII, 5. 12. Speculum hujus  
 communionis cernitur in Aquila & Priscilla, erga Apollen.  
 Act. XVIII, 24. 25. & in Apostolo Proerga Ecclesias Iudeorum  
 & gentium, etiam facie sibi ignotarum, & quidem  
 eo argumento, quod essent fratres in Christo. Act. XIX,  
 23. quibus unus Pater Deus, cuius voluntate geniti. Jac.  
 I, 18. Joh. I, 13. Esa. LXVI, 9. & unus Frater Primogenitus  
 I. C. Romi. VIII, 29. & hereditas una. v. 17. Col. I, 12.  
 Act. XXVI, 18.

## §. II.

Quia vero sunt fratres, ideo Ap. totis sollicite  
 inculcat Philadelphiam. Heb. XIII, 1. Rom. XII, 10. 1. Pet.  
 I, 12. monet ut Pierati addatur Philadelphia 2. Pet. I, 7.  
 qua ingressus in regnum Dei securitas fiat. Josephus ad  
 fratres, dum Benjaminem supra ceteros donasset, monet:  
*ne rixamini in via, ex invidia doni.* Gen. XL, 24. &  
 Moses exclamat: *quid rixamini, viri fratres estis.* Exod.  
 II, 13. ita etiam cum in via ad Deum Patrem sunt Christiani  
 fratres Joh. XX, 17. etsi videant, quod in *unum* a  
 Principe Christo Fratre, qui recte cognoscit ordinem  
 nativitatis familie suae, tamen in *minimum* omnium  
 1. Cor. XV, 8. 9. 10. liberalius quædam dona collata. Joh.  
 XXI, 21. 22. Matth. XX, 14. 25. XI, 12. 1. Cor. XII, 24. non  
 debent reliqui illum *fugillare* ex invidia *charismatum* ac-  
 ceptorum, potius congaudere debent. Gen. XXXVII, 4.  
 2. Pet.

❀ ❀ ❀

---

2. Pet. III, 15. 16. *Philadelphia*. Philem. XVI. & Psal. CXXXIII. maxime commendatur a pulchritudine, & benedictione divina eam consequente: inde omnes fratres Ch. vocantur *Sancti*, Rom. XVI, 14. 15. quia fraternitas ista nititur *sanctitate*, & vicissim. Hebr. III, 1. Col. I, 2. Eph. I, 4. 5. 1. Pet. I, 14. XVI, 4. 5. ut quoque *Sanctitas* in aliquo extenditur eosque & fraternitas. 1. Cor. V, 11. 12. nam cum quo *convictus* interdicitur, isti ave fraternali *symbolum* dicere non tenemur. 2. Joh. X, II.

### §. III.

Talis *Philadelphie tesseram* mandat Ap. quam vocat *Osculum Sanctum*. 1. Cor. XVI, 20. 2. Cor. XIII, 12. 1. Thes. V, 26: *Osc. amoris*. 1. Pet. I, 22. V, 14. & *Symbolum Sanctorum*. Rom. XVI, 16. Salutare alii alias in *φιλησατι*, in *osculo*. NB. non dicit, *osculo*; sed in *Osc.* S. ut *emphasin*, mysterii *Osc.* S. & intimam amoris ejus medullam intimaret, exinde subnectit: *Salutant vos Ecclesia Christi*, quod Patres Veteris Eccl. vocabant *osculum missae Philadelphiae* S. per quod hanc *Salutationem* Ecclesiarum multarum ex *delegato*, fideles mutuo debeant *praestare*. 1. Cor. XVI, 20. 2. Cor. XIII, 12. 1. Pet. V, 13. quo singulos mandatarios *Christi*. D. in hoc officio per Epistolam contestaretur. 1. Thes. V, 26. 27. Cæterum modus ipse salutandi per *osculum familiaris* olim fuit in Eccl. Primitiva, non, quod ortum ducat ab hoc *mandato* Ap. sed originem derivat a consuetudine *Populorum Orient. speciam* *Hebraeorum*; apud quos fuit *I. osculum cognatorum*



proprium, ut dum Jacob Rachelem obviam, Laban Jacobum, & Esau. Gen. XXIX, 11. 12. XXXI, 55. LIII, 4. Joseph. fratres suos. Gen. XLV, 15. Oculum fuit II. mutui amoris signum, Ruth. I, 14. Act. XX, 37. fuit III. Nota honoris & reverentie. 2. Sam. XX, 9. exinde etiam Symbolum Cultus Divini. Ps. II, 12. osculemini Filium. Job. XXXI, 27. Luc. VII, 45. hinc osculati Baalem idololatræ. 1. Reg. XIX, 18. & vitulos Jerob. Hos. XIII, 2. hinc verbum adorare venit ab oris osculo. Plinius inter adorandum dextram ad osculum referimus. Minutius F. in Oc. Cæcilius simulacro Serapidis viso manum ori admovens, labii osculum impressit, unde oscula labrata, quo Purpurati adorati & Φιλησα βασιλεον. Tertull. Celestia adoranda ad solis ortum labia vibrare, quam phrasin Rabface usurpat. 2. Reg. XVIII, 20. verba Laborum preces Ezechiae fugillans. IV. fuit nota obedientie, erga Ministerios Aule Regum Gemerath. Gen. XLI, 40. Os tuum osculabatur, omnis populus, dum homagium præstat. 1. Sam. X, 1. & rescripta regum mandata osculatur. Psal. II, 12. ut LXX. vers. V. Osculum fuit tessera desponsationis ad conjugium federale. Cant. I, 2. uti de Adamo I. si traditionibus Rabb. locus sit in hac Doctrina, ex relationibus B. Amadei, Da, ait, Adam Eve, hinc dextræ dextram tuam & Osculum s. labiu meis, crescamus & multiplicemus populum Dei cultorem Gen. XXIV, 67. VI. signum fuit aggratiationis Regum & condonationis peccati. 2. Sam. XIV, 33. Luc XV, 20. Gen. XLV, 15. XXXI, 55. XXXII, 4. Prov. XXVII, 6. VII. Symbolum fuit Osc. inaugurationis Candidati ad ministerium Dei, Exod. IV, 24. osculo

osculo Mo<sup>s</sup>es Aaronem inaugurat ad collegatum suum: ita Samuel, Saulem ad munus regium. 1. Sam. X, 1. Sic Isaac Jacobum ad Sacerdotium, post mortem suam succedentem jure primogeniture nunc in Jacobum derivato. Nam pallium illud Gen. XXVII, 15. XXVI, 27. pretiosum, quod Es<sup>a</sup>ao præparatum erat, ut carnali primogenito, fuit Sacerdotale, quod per providentiam Rebecca, ex oraculo. Gen. XXV, 22. nunc Jacobi investituræ cessit, qua indutum nunc Pater, tessera osculi sacramentalis, Jacobum sibi in sacerdotium succenturiatum inaugurat, profanum Es<sup>a</sup>avum exaugurando. Heb. XII, 16. 17. Sic 1. Reg. XIX, 20. 2. Reg. II, 9. mensura osculi oris Eliæ duplicita, signum erat successionis Ehsai, in officium dignitatis Patris Filii Prophetarum v. 15.

#### §. IV.

Huc referunt Rabb. textum Deut. XXXIV, 5. Mo<sup>s</sup>es osculum a Deo impressum, in amplexu Dei ad Cœlestis Sacra*rii* ministerium inauguratum Heb. IX, 25. 24. cuius typus ipsi declaratum. Exod. XXV, 40. Act. VII, 44. Heb. VIII, 5. p<sup>r</sup>bra<sup>s</sup>, morruis est Mo<sup>s</sup>es Υ juxta osculum ex præstirute Jebo<sup>v</sup>e, intimatum, ad quæ ita Rabb. non prius vocatus est Servus Jebo<sup>v</sup>e, in tota omni domo, & in terra & in coelo fidelis. Num. XII, 7. priusquam vita discessisset; hoc titulo status excellentie designatur, servus enim secretiora Heri conclavia assidue ingreditur, eique ad nutum præsto est. Liquido dixerunt: *majores sunt justi in morte, quam in vita anima, ejus*

ascendit ad ministrandum, excuso. Bechai. Abrab. in M. quæ si cum iis, quæ Num. XII, 8. & Matth. XVII, 3. notantur, & visi sunt Moses & Elias cum Christo D. colloquentes, conferantur, probabilia sunt, unde Maimonides dicit: *Mosen non esse mortuum sed ascendisse, & Deo in cœlis ministrasse.* Joh. XVII, 24.

### §. V.

Osculum VIII. erat tessera appreciationis beatæ analyseos. Phil. I, 23. Ethnici amicos quibus anima in primis quasi labris versabatur in agonizantibus, eos tum deosculabantur; Unde illud Seneca ad Helviam. c. 3. *Filium tuum in osculis tuis mortuum funeraveras.* & Ausonii in Parent. Carm. XXIII. illa manus inter genetricis & oscula Patris occidit, quod vocabant, *Spiritum excipere* Act. VII, 59. ita rogo imponendos osculabantur. Tibull. L. I. flebis & arsuro positum me Delia ledo, tristibus & lacrymis oscula mixta dabis. 2. Chron. XVI, 14. & tali osculi emortuali addebat preces. Tibull. L. 2. & in epitaphiis sepulchralibus Judæorum legitur Parisis, *Tu titulus es sepulchri Salomonis, filii Haim, qui discessit in Paradisum desculatus a Patre Gen. XLVIII, 10. porro IX. Osculum nota Tesseræ Communionis Sanctorum fuit;* atque ita Act. XXI, 19. Salutabant se invicem Christiani O. S. & nota erat non communicationis cum impiis. 2. Joh. 9. 2. Chr. XIX, 2. 2. Reg. III, 13. 14. X, 15.

### §. VI.

§. VI.

Atqui hujusmodi oscula, Apostolo dicuntur *Sancta*, quoniam dantur etiam Oscula Diabolica, impia, illicita, idolatrica, qualia *Baal*s olim, & nunc imaginum crucis & reliquiarum (ut mentiuntur) Sanctorum; sunt lascivia, meretricia. Prov. VII, 13. adulatoria & venesica ut Absolomi, qui osculando furabatur corda populi. 2. Sam. XV, 5. oscula inimici. Prov. XXVII, 6. proditoria, ut *Zoabi* 2. Sam. III, 27. XX, 9. 10. *Jude* Luc. XXII, 48. *Juda* an osculo prodis *FiliuM Hominis*: emphatica haec sunt verba Salvatoris, atque scelus immane declarantia, quod osculum Judae proditoris, omnibus contrarium esset supra enumeratis novem osculi Sancti mysteriis. A. *Juda* nomine compellat, ut *Patronymicum* vitium ipsi exprobret illud. Gen. XLIX, 8. 9. antonomastice. q. d. *Juda* celebrabunt te fratres tui, dum manus tuas impones cervici inimicorum tuorum: Amice cur aitem ades tu Matth. XXVI, 50. an complectens me, manus tuas cervici imprimis ut hosti inimico sub velo osculi! Tu me *Jordan Leonem* de tribu *Jude*. Apoc. V, ut hostem tractas, Me quem *Schilonem* *Juda* expectavit. Tu me prodis. B. ait deinde, me *FiliuM hominis*. Luc. XXII, 48. quem Patres tui desiderarunt anxie videre. Esa. LXIV, 1. Ps. XIV, 1. LXXX, 1. 2. Luc. X, 23. Joh. VIII, 56. Tu *furcifer* ipsum exterminandum venisti, me *FiliuM hominis*, semen illud mulieris. Gen. III, 15. quem venturum Israel desiderabat. Matth. II, 3. ut conteram caput serpentis en tu me osculando mordes calcaneum meum,

- - - - -

meum, Ps. XLIX, 6. XXXVIII, 17. Tu eras. Sodalis con-  
victor, meus Discipulus Iuda. Ps. XLI, 10. Act. I, 16. 17.  
Tunc Subplantator, proditor meus factus es, ut pretio  
sanguinis mei innocentis, possessionis acquirere studes.  
Act. I, 18. 1. Reg. XXI, 9. 10. 2. Reg. V, 26. nepos Gebazi,  
quas etiam si haberes, pro & propter me deserere de-  
buisses. Matth. XIX, 27. 29. Heb. X, 34. C. Tu tuum oscu-  
lum, tesserari pacis & amoris, convertisne in tesseram  
hostilitatis, & inimicitiae. Ps. CXX, 6. 7. contra doctrinam  
quam tu ex me dicisti. Rom. XVI, 17. Matth. XI, 29.  
Tu D. circumforanee, πολαξ venisti ut sub assentationis  
& adulatio[n]is osculi umbra, irrideres me Regem Sionis.  
Zach. IX, 9. Matth. XXI, 4. ut & Herodes Christo D. Luc.  
XXIII, II. & illi. Matth. XXVII, 28. 29. illudebant, quasi  
osculo tuo, me tuum Dominum Magistrum, supra omnes  
estimates, & adores, nempe a fidelibus osculum da-  
tum Christo. D. signum erat reverentia & digna estimationis Luc. VII, 45. sed in Iuda fuit nota vilipendii &  
contemptus, res enim solent homines eas vendere, quæ  
sibi non necessaria, adeoque vilia ducunt, gestiūntque  
ab illis, per venditionem quasi ab onere aliquo molesto  
liberati. Matth. XXVI, 8. XV, 25. XXVII, 5.

## §. VII.

E. Salutantes osculo alios se devocebant, pro fratribus talibus ut membris eccl. velle suos labores & omnia bona impendere. Act. II, 42. 44. 45. imo & vitam ponere pro fratre periclitante, quo collineat Ap. dum osculo.

• • •

osculo. S. jubet *salutare Priscillam & Aquilam*. Rom. XVI, 3. 4. eo, quod pro Paulo *animam suam posuere*, itaque *Judas suo osculo prætendebat id facturum pro Christo*, quod *Petrus præferebat*. Luc. XXII, 33. atque venisse nunc ad Christum suum Magistrum, ut eum defendat a *Romanis Christum rapere venientibus*. F. osculum in bonis viris fuit *signum benedictionis suæ erga* alios a se osculatos, ast *Jude Osc.* fuit nota *imprecationis* contra Herum. Job. XXXI, 15. Matth. XXVI, 47. 48. Ps. XXXV, 7. 8. XLI, 6. 8. 9. CIX, 17. 18. Judas quasi Prodigator, mox per prodigionem ejus, cruci quasi rogo tradendum (ut supra §. V. ad VIII. osculum diximus) osculatus ac si *Spiritum Christi & animam absorpturus*. Ps. LXIX, 16. 1. Pet. V, 8. G. osculum fuit fidelium *signum reconciliationis & condonationis peccati proximi*; sed *Jude Osc.* fuit nota *aggravationis & comprobacionis* reatus peccati *Jude & Iudaorum Christum crucifigentium*. Luc. XIX, 22. 27. Ps. XLI, II, 12. Matth. XXIII, 35. 38. Joh. IX, 41. VIII, 24. D. Porro Osc. aliorum fuit *signum consecrationis* ad Ministerium Dei, sed *Jude*, et si ex directione Dei. Act. IV, 28. factum sit *signum inaugurationis Christi*. D. ad *munus sacerdotii* jam jam instantis. Matth. XXVI, 14. 15. Zac. XI, 12. 13. Marc. XIII, 4. 5. 9. Luc. XXII, 20. 22. Joh. XIII, 27. XI, 50. 52. sed tamen ex *Scopo* *Jude*, fuit osculi ejus intentio, ut *degradaretur Christus* D. ab isto *munere* S. Ps. XXII, 7. 13. 14. 17. 18. 22. XXXV, 11. 12. 15. XLI, 6. 9. 13. quod *Iudaorum Pontifices diserte fassi sunt*. Matth. XXVII, 63. 64.

B

§. VIII.



## § VIII.

Nempe, osculum fuit *idololatria mentis subtilioris* signum, ut *Verulamius* vocat idola mentis, cum quis aurum, argentum adorat: Job. XXXI, 24. 25. Ps. LII, 9. LXII, 11. *divitias ne apponite cor. si multiplicentur, ut ille.* Luc. XIII, 20. Euripides ita introducit auri adoratorem, *sine me ait vocari pessimum, ut dives vocer, quælibet regina pecunia donat.* Hanc *adulationem* sibi Potentiorum in *divitias & idololatriam* mentis vide notatum. Job. XXXI, 27. 28. unde *prosopolepsie* vitium, & *divitium* erga alios, & aliorum erga divites, porro *Osculum* fuit signum se *conjugere applicare* arcte alicui, unde *arma* vocantur *pvs* Es. XXII, 4. eo, quod applicantur *corpori*, sive illius qui illis *induitur*. 1. Sam. XVII, 39. Jud. III, 16. sive ejus qui *armis feritur*, sic Luc. XV, 20. applicavit (quo sensu utroque, per *antiphrasin*, *oscula, arma*) *osculo* se Christo D. *conjugenti* Judæ, evenit Ps. LXIX, 24. 25. CIX, 18. 19. Act. I, 18. hinc Patres Primitivi, *proverbium* de *hæreticis* Pseudo Apostolis & fratribus usurpabant: *Osculum gerit Inde*, quo significabant, *Osculo* Judæ ad Christum, gravissima *seclera animum* Judæ Pr. *occupasse*, & quasi *legiones Diabolorum* aliquot in se habere prodidisse, hunc *Gerges num.* Marc. V, 9. uti Christus D. monuit, dum *Judam expresse Satanam* vocavit Luc. XXIII, 3. Joh. XIII, 2. 27. nam posuit *contrarium suum osculum omnibus illis mysterio osculi Sancti*, quæ supra declaravimus, hinc natum & *adagium*: *Osculum serpentinum & Mercurii Caducæ emblemata* nempe: *Virga duobus*

¶

duobus serpentibus convoluta, qui se mutuo osculantur  
dum ad hostes decipiendos Caduceatores blandiloqui  
expediuntur. 1. Reg. XX, 31. 33. 2. Reg. XVIII, 17. 35. cum  
tamen osc. deberet esse reciprocæ charitatis Caduceator.  
Luc. VII, 45. quam ob rem discessuri se osculabantur  
mutuo, Gen. XLV, 15. Act. XX, 37. ut quasi ex præterita  
olim amica consuetudine, absenti in memoria renova-  
retur 2. Pet. I, 15. 1. Pet. V, 14. *familiaritas*.

### §. IX.

Discipuli sunt & *Alumni* hujus *Juda* & *Pr.* qui *impuro*  
ore Christum in *Eucharistia*, præterambunt, crucis (ut  
fingunt,) *signa*, in *auro*, *argento*, *hostia* farinacea, *char-*  
*atis*, *lapidibus*, *linteis*, *armis* impressa, cultu idololatrico  
deosculantur, & Salvatorem suum cæteraquin produnt  
& *auro* vendunt, cum *Juda* mercatore *Simoniaco*. Act.  
VIII, 18-23. qui Christum, *preciosum* istum *lapidem Salu-*  
*tis angularem* 1. Pet. II, 6. emunt *auro*, non ut eum possi-  
deant, ut *peculium Focale excellens*, & ut in eo delecten-  
tur; Ps. XVI, 5. 6. LXXIII, 25. 27. Matt. XIII, 44. 46. sed ut  
wendant alii ad *Iucrandum mundum*. 1. Tim. VI, 5. 20.  
hinc legitur inter *negotiationum Babelis merces mysticas*  
*etiam animas hominum numerari*. Apoc. XVIII, 13.  
Matth. XXIII, 15. 16. hoc respectu arguit Ap. 1. Tim. VI,  
5. 6. 20. *Pseudo-Doctores*, quod putarent pietatem que-  
sum esse, ut apud eos omnia *mysteria Christianæ do-*  
*ctrinæ nulli usui servirent*, quam ut *lucrarentur exinde*  
*samam, opes, agros, possessiones viduarum vel demortuo-*

B 2

rum



rum cum *Gebazi*, 2. Tim. III, 6. 2. Reg. IV, 26. Matth. XXIII, 14. ut pietas illis sit magnum *lucrum*, non auditribus sed *Sacrificulis Baalis missificantibus* prout satyricus dixit. P. *omnia penalia Roma, Templa, Sacerdotes, cœlum est venale* Deusque: notat Hist. *Innocentium XI.* beatius putasse dare Christum, quam accipere, blasphemans, verba Christi D. Act. XX, 35. nempe impertit ille *Osculum*, ut vocant *Apostolicum*, Imperatori Leopoldi, velut *Subsidium ad bellum Turcicum*, an. 1684. cui numero, ex una parte impressa erant: *Beatus est venundare quam accipere, ex inversa parte autem: Innocentius. XI. & ejus arma.* Quam miseranda fors Imperatoris! qui non sensit se pro mendicabulo haberi, ab *Sannulo Piscatoris*, & *Majestatem suam singulari*, a pennis furtivis Tarpejæ istius *Cornicule*. Apoc. XIII, 17. XVIII, 11. adeoque ex his actibus *Paparum*, liquet Papam R. non Petri sed *Iude* successorem esse, dum pedes suos religiose deosculandos ipsis Regibus pro auro obfrudit: in *Vaticano* R. pictura, *Carolum V. Imp.* Pedes Pauli P. osculantem cum hoc Lemmate exhibet: *Ille triumphavit, sed Tu plus Paule triumphas Victor, namque tuis oscula fert pedibus.* Reginaldus Angliae Rex, Papam Honorium sic salutat. an. D. 1219. *Reginald. Rex insularum Commendationem cum osculo pedum.* Vide plura exempla, in Joh. Bodino & Bernardino & Riveto in Jesuita vapulante & Calixto in Diff. de V. R. & Coriolo in Sum. Conc.

## §. X.

§. X.

Hoc respectu tanto Zelo Paulus, ad Romanos Propheticam Epist. quasi subofaciens. 2. Thes. II, 3-7. apostoliam Ecclesiae Rom. ad Fideles, scripsit. Rom. XVI, 17. obsecro autem vos fratres, ut observetis scandalorum Fabros, contra doctrinam quam vos didicistis & declineatis ab eis, nam tales non serviunt D. nostro Iesu C. sed suo ventri, & per crestologias & Εὐλογίας, per oscula Serpentina Iude, corda hominum minime malorum seducunt: etenim quae doctrina magis scandalis, osculis proditoris in Sacra C. Ecclesiam prodidit? quam quae de missa est, ideoque hic est omnino necessaria Vigilantia, συντελεῖται Ap. βλέπετε Phil. III, 2. & Christus D. Matth. VII, 15. Προσεχετε q. d. considerate, quo tendat illa blandioqueritia Iude, Salve Magister & osculum hypocriticum Inimici hujus Prov. XXVII, 6. 7. 14. Ps. XXXVI, 4. XXXV, 16. rationes speculandi addit ex fructibus cognoscetis eos, fermentum enim eorum est hypocrisis. Lue. XIII, 1. Col. II, 18. q. d. nullus thesaurus tanta custodia dignus, quam Doctrina Christi. Ps. XIX, 11. CXIX, 72. 2. Cor. IV, 7. Matth. XIII, 44 qui thesaurum custodit, inconniventibus eum observat oculis, ut inhiantes submoveat: thesauri hujus custodiā, I. urget & dignitas & necessitas hujus doctrinæ c. Job. XXIII, 12. Jer. XV, 16. 1. Tim. I, 14. II. Pseudo Doctrorum dolus & astutia. 2. Cor. II, 17. IV, 2. Phil. III, 2. XVIII, 19. Jud. IV. III. incuriosorum ad deceptiōnem & seductionem proclītas. 2. Pet. II, 18. 19. Rom. XVI, 18. IV. quia non veniunt in suis coloribus, sed picti-

fucatique ex Gynæco, *Jesabelis.* 2. Reg. IX, 30. illius *mystica.* Apoc. II, 20. 2. Corinth. XI, 13. 14. 15. Lupi illi vestibus ovium sunt tecti. Matth. VII, 15. loco auri æs politum. Esa. I, 22. Prov. XXVI, 23. & pro *Margaritis,* crystallum supponunt, adeoque auditoribus hic accuratislime speculandum est, ne decipientur. Jud. XIV, 15. XVI, 6. 1. Reg. XIV, 2. 6. Col. II, 18. præprimis vigilare jubet Ap. respectu doctorum, dum ipsi custodes thesauri Christi, facti sunt fures, qui creditum thesaurum ipsi tollunt & cum furibus partiuntur. Act. XX, 30. 1. Joh. IV, 1. Matth. XXIV, 11. Ezech. XIII, 3 - 19. Prov. I, 10 - 14. in domo Patris familias sunt øconomi, qui singulis demensum exhibent, sed hic cuique observandum est, an id genuine faciant, nec ne, si farine admisceant furfures, si fel, si abſyntibum, invigilandum cuique, quid sit commesturus. Jer. XXIII, 16. XXVI, 28. Prov. XXIII, 1. 2. 3.

## §. XI.

Papani persuadere volunt, sufficere alienam fidem ad salutem, ut credatur quod *Ecclesia* credit, nempe *Doctores*, sed potest ne quis satiari & vivere de cibo, quem vicinus comedit, id ne *Esa* quidem crederet etiam *Jacobo*, dicenti. Gen. XXV, 29. 34. *Parasyti* quidem illi Pr. *Juda* solent suas *animas* oppignorare pro aliis a se seductis, quod ego ipse expertus sum *Cassovia.* an. 1724. in carcere constrictus accedebant saepè *Jesuite*, corvi illi animæ meæ inhiiantes, & *Tentatoris* illius Matth. IV, 3. *Commissarii*, aliquando simul tres urgebant me,

me, ut si accederem Ecclesiæ Papane, illico me ex carcere secum educerent, & tres illi suas animas oppignorando cautionem præstiterunt, quod ipsi pro me a Deo condemnarentur, si Eccl. Papana idolatrica esset. Etsi ideo perderem animam meam, quod Papanus factus sim, modo oscularer hostiam missæ consecratam, quam secum habebant, tali Jesuitarum paratragædia, fallacius osculum in mundo dari non credo. Serpens dixit Eve: non mori emini, sed Deus novit, quo die comederitis, aperientur oculi vestri & eritis sicut Elobim. Gen. III, 4. 5. ast animæ Eve quid profuit, cum diceret eorum tribu-nali Dei, v. 13. Serpens ille me decepit; imo specialis præ Viro maledictionis rea facta, v. 16. quod anathema in-tonat Deus & talibus Jesuitis, osculo Jude fallentibus. Jer. XIV, 13. 14. 15. Zach. XI, 17.

## §. XII.

Atque ita, dum Papanis suis, Jesuita in hostia vi-tam promittunt, pro vita, (ut Eva) mortem utriusque temporalis & æternæ, osculum amplectuntur, quod ex variis exemplis tragicis apparuit. Refert Job. Bodin. in Methodo Regem Hispanie, avidum cognoscendi suæ exitus vitæ, Jacobi am Monachum accessisse, qui con-secratam hostiam. M. a R. ge oscularam, facto primogenitum quandam decennem ad hoc comparatum truncari jussit, capite eo hostie imposito, roganti, quid vellet, caput respondisse: Vim patior, quo auditio illico Regem furibundum indesinenter clamitasse, tollite caput istud, & in

• • •

& in rugitu expirasse. *Lambert. Schaff. Mon. Herff.*  
*Hist. an. 1054. Roma Diaconus* quidam inter sacra M.  
*hostiae venenum miscuerat, quem cum Gotfrido Lotha-*  
*ring. Duci porrigeret vellet, manum admovere non po-*  
*tuit. Cæsarius Mon. L. VIII. Dial. Sacerdos quidam in*  
*Gallia nocte festi Nat. Ch. cum ante cum scorto con-*  
*cubuissest, missam celebrat, dum verba: hoc est corpus*  
*meum, pronunciat, corvus advolavit, calice epoto,*  
*hostiam arripiens avolavit, crocitans: Væ tibi scorta-*  
*tor, quis corvus ille fuit, docetur. Matth. XIII, 4. 19.*  
*Prov. XXX, 17. Plura tragica exempla osculi hostie M.*  
*vide in L. conform. Bartholomai de Pisis & Matthæum*  
*Lodecum. Genebrard. in Chron. Imp. & Pap. tradit, Be-*  
*nedictus XIII. Antip. ante se ubique hostiam cum osculo*  
*gesturi fecisse, in sui custodiam. & Fulgosius Hist. L. 9.*  
*c. II. dicit: Petrum Sermonetanum Minoritam, asini*  
*ori hostiam consecratam osculandum inseruisse, qua dæ-*  
*mones in magicis veneficiis faventiores haberet, ut sic*  
*hi implerent predictionem illam C. D. Matth. VII, 22. 23.*  
*conf. & Casalium. Libro de vet. sacris Ch. ritibus.*

### §. XIII.

Videtur hæc doctrina de efficacia missæ Hostiæ,  
quod in S. cœna, physlice & corporaliter Christi corpus  
& sanguis transubstantietur, primum a Tentatore S.  
inventa & in Ecclesiam insinuata, a principio Ecclesie  
tunc statim. Gen. III. cum serpens dixit v. 4. 5. *imo*  
*non moriemini, sed novit Deus, (en osculum serpentis)*  
*num*

◆ ◆ ◆

num Eve impressum!) ut quo die comederitis ex arbore ista, oculi vestri aperientur, & eritis sicut Dii, nempe quasi *physica corporalis* commestio fructus arboris s. b. m. *physice* illos transmutaret in Deos immortales, omniscios: ita, ut ex arbore *vita*, a Deo denominato, quasi per *symmeriam*. Gen. II, 9. & arbor scil. *physice* vitam & *Divinitatem* infundaret, atque hoc *equivocationis* mendacio, arte *Jesuitica*, Johann. VIII, 44. seduxit, ut pro *vita*, mortem amplectentur, Deus omnino, *Protoplasis*, de arbore scil. mediterraneum, non comedendum jussaret & tum comedendum de arbore *vita* promiserat victori, Apoc. II, 7. Prov. III, 18. XI, 30. XV, 4. unde Patres dixerunt: credete, & tum manducasti corpus Christi: I. Cor. XI, 20. 29. credenti enim omnia sunt possibilia. Marc. IX, 23. Phil. III, 9. 10.

## §. XIV.

Talia osculo *Iude* serpantino, contrarium iubet Ap. osculum sanctum, quo se invicem salutare debeant, Rom. XVI, 16. mandatum hoc saepius repetitum, ἀπαταδει salutare, notat, tum testimonium amoris in alium, tum votum nostrum varie nostrae benedictionis pro fratre, ut supra memorati. Isaac, Jacob, Joseph, Jethro, Moses, Israelite ad Davidem, I. Chron. XII, 18. & Angelus Jehovae ad Gideonem, Jud. VI, 12. & B. Virginem Mariam, Luc. I, 28. Mariæ ad Elizabetham, v. 40. fecerunt, id Christus D.

C

man-



mandavit *Discipulis*, ut olim *David* suis *Ministris*,  
 1. Sam. XXV, 5. 6. ut in quam *domum* intrarent *eam*  
*salutent*, Matth. X, 12. prout ipsemet Ch. D. ad *Apo-*  
*stolos* ingressus post *resurrectionem* eos *salutavit*, Joh.  
 XX, 19. 22. exindeque *Apostoli* mandato Christi D. in-  
 nixi, *Epistolas* suas, a *Salutationibus* incepérunt, & *Sa-*  
*lutationibus* vicissim *concluserunt*, ut liquet insipienti  
 serio eorum *Epistolas*, quem *morem*, cur non sequan-  
 tur *Christiani*, in suis Ep. ad amicos scriptis, ego sem-  
 per admiratus sum, si quidem *Primitivi Christiani*,  
 hoc votum *salutandi* etiam extra *Epistolarum* *mo-*  
*rem*, in quovis *occursu* & *digressu* reciprocárunt *si-*  
*gnis* & *verbis*.

### §. XV.

Proinde mandatum *Apostoli*, de *Osculo S.* do-  
 cet, quod *Christianismus* non tollit *civilitatem*, ut  
*humanitatis* debeant *oblivisci*, homo *creatura socialis*,  
 eo fine *sermone* est *instructus*, quo *animos conciliare*  
*queat*, Ps. XLV, 1. Prov. V, 3. & *sincerius amice con-*  
*jungi*, & id in quovis *occursu* est *contestandum*; equi-  
 dem *natura corrupta* *solitudinem querit*, Gen. III,  
 7. 8. 10 Matth. VIII, 28. Marc. V, 2. 5. & *occursus*  
*eius* est in *perniciem*, Gen. XVI, 12. cuius manus con-  
*tra omnes*; sed *gratia feritatem naturae corrigit*, ut  
*mansuera querant socialem conjunctionem*, & *salutatio-*  
*ne amorem mutuum profiteantur*: *Christianos itaque*  
*hoc mandatum Osculi S.* & *debet* & *obligat* ad *saluta-*  
*tionem*,

tionem, qua suam propensionem indicent & adau-  
geant, proinde *salutatio* debet esse *cordialis*, non ver-  
balis tantum, Rom. III, 14. sed in *veritate amoris*,  
1. Joh. III, 18. Psal. XVII, 1. 4. *Zonadab*, 2. Reg. X, 15.  
ocurrens *Zebu* salutabat eum, at *Zebu* reponit, *an cor-  
tuum rectum est, uti meum tecum est*, quod ille affir-  
mat, & *dextra manu* oblata, mutuum id fuit confir-  
matum. Sed proh dolor, proh pudor! quid usitatus  
hodie, quam *salutationibus* mentiri. Psalm. XLI, 7,  
XVIII, 45. Act. VIII, 19. XXII, 23. Multorum verba  
*molliora sunt oleo*, sed nudi sunt *enses* demum. Psal.  
LII, 2-5. LV, 22. Salutationes tales sunt *serpentis*  
*mordentis*, Gen. III, 2. 3. 4. ut *Zoabi*, qui osculatus  
*Abnerum & Amasam*, confodit a tergo gladio. 2. Sam.  
III. & XX. Ast Apostoli mandant *osculum s. fidelibus*,  
ut *filiis & heredibus benedictionis*, 1. Pet. III, 9.  
coque prolixo esse debent in salutando *benedicere aliis*,  
etiam illis, qui nobis maledicunt. Matth. V, 44.  
Psal. CXXI, 3. 4. 6. 7.

## §. XVI.

Peccant ergo hic *sectarii* illi, qui ut *Christia-  
nismi* majorem *tessiram* positeri se singant, a *salu-  
tationibus* abstinent, quasi *alieno more* a Christianis-  
mo, dum *Christus D.* iis usus fuit, garriunt quidem  
illi *præfiscine*, quod Ch. D. dum emitteret *Apostolos*  
ad prædicandum Evangelium jussit, Luc. X, 4. *nemi-  
nem in via salutate, verum hoc pacto non omnem*

C 2 *saluta-*



*salutationem* vetuit, siquidem illico, v. 5. subiecit mandatum, *dicite, pax huic Domui, quæ phrasis omnino salutandi ressera erat, Matth. X, n. 1. Chron. XII, 18.* illud ergo Ch. D. *interdictum*, proverbialiter tantum prohibuit, *cunctationem* in prædicando Evang. ipsis delegato, collineauique ad *cautionem* eam, quam *Eliseus* Gehazio præfixit, 2. Reg. IV, 29. vide locum sensumque *præcepti* illius diserte declaravit, *Luc. IX, 61. 63.* & *Paulus Ap.* illustravit exemplo suo, *Gal. I, 16.* & *S. Johannes,* 2. Ep. v. 10. arcanum illius mandati detexit, *si quis ait venit ad vos, & banc doctrinam non adfert, ne recipite eum in domum vestram, nec dicite ei salve, q. d. cum heretico Doctore nullum commercium colendum, quia talis non habet, non adducit Deum & Christum, cum quo fidelium communio per doctrinam adcuratur, 1. Joh. I, 3.* tales etenim *seductionem*, non salutem moliuntur, & quis velit, *leprosum, peste infectum.* Act. XXIV, 5. *aduoc* admittere, ubi tamen non nisi *corporis damnum metuendum;* ergo potius cavendum ab iis, qui *animes nostræ perniciem* moliuntur. 1. Thes. V, 21. Psalm. CXXXIX, 21. 22. Deut. XIII, 6. 8. 13. 17.

## §. XVII.

*Qui vero osculo Sancto osculandi sint mutuo designavit Ap. Rom. XVI, 3. 16. quos dicit omnes Sanctos & Fratres, quo inuit, Christianæ fraternitatis locum non esse, nisi inter Sanctos & Fratres, Act. XIII,*

XIII, 26. XXII, 1. XXIII, 6. XXVIII, 27. XV, 23.  
 inter quos, quia sunt fratres, *Philadelphia* vigere de-  
 bet, Heb. XIII, 1. Rom. XIII, 10. 1. Pet. I, 12. 2. Pet. I, 7.  
 nam quoisque extenditur *Sanctitas*, eousque etiam  
*fraternitas*, hinc merito notandum, cur, cum Apo-  
 stolus, Rom. XVI, tam multos, *Romanos* salutat, ne-  
 minem illorum a politici muneris dignitate commen-  
 dat, nullus ibi titulus *Consulis* aut *Equitis*, inclytæ  
*familiae*, vel *Domus Augustæ*; ut valeat hic illud, *Re-  
 gnum Ch. non est de hoc mundo*: Johann. XVIII, 36.  
 1. Cor. I, 26. eo respectu, *Osculum S.* ab Apostolis  
 mandatum deinde accepit *tessera* nomini *Osculi Re-  
 ligiosi & Christiani*, unde usurpatum fuit in *Ecclesia*  
 ante & post communionem sacræ C. ex qua *etatis* illius  
*osculi consuetudine*, patet *solutio* quæsti: *An ille  
 ritus hodie etiam sit observandus?* R. sequendus hic  
*mos cujusque temporis & gentis*; nempe, tunc, cum  
 adhuc Ecclesiæ *Judaicæ* magno numero essent, con-  
 suetudo ea sancte fuit etiam inter *gentes* observata.  
 Sed nulla *obligationis* necessitas hinc apud Eccl. Chris-  
 tianas nascitur, 1. Cor. XI, 4-6. *prophetare aut pre-  
 cari viros capite recto* prohibet Ap. cum tamen apud  
*Judeos* non aliter fieret, nec liceret. Jos. V, 14. 15.  
 Num. XVI, 22. Jud. VI, 22. vide *Orationem* B. I. Alt  
*de mitra sacerdotis summi*: ratio, quia illud apud  
*Greos* fuit *signum prophanitatis & contemptus cultus*  
*divini*, adeoque *Scandalum* fuisset *Greis* capite recto in  
*Templo* comparere, proinde monet Ap. ut in *prophetia*



*concionis & precum liturgiis gentile decus observarent  
aperti capitis in Templis.*

### §. XVIII.

Eundem morem *Pbrygas* tenuisse tradit *Virgi-*  
*lius Aeneid.* 3. in sacris obeundis. *Purpureo velare*  
*comas adopertus amictu*: apud Romanos *Flamines*,  
quasi *Pileamines* dicti, a pileis capitum tegumentis,  
ita *Trapozita Plautinus Aesculapium aperto capite* salu-  
rat: ita *L. Vitellius* ex Syria redux *verniler* honores  
*Cajo C. delaturus* capite velato coram eo procubuit,  
attamen *Saturno* sacrificantes Romanos, & *Herculi*,  
capite aperto, *Plutarchus & Macrobius* autor est, quis  
vero decentior habitus sit, mussitant *Doctores Eccl.*  
& enim *Ap. Gentium Doctor* pro Græcis contra Roma-  
nos, & quos isti sunt secuti, pronunciasse videtur.  
*I. Cor. XI, 4. 5.* omnis ait vir orans aut concionans  
prophetiam aperto capite dedecorat caput suum, mu-  
tuer vero in simile dedecus incidit, si non tegat caput  
suum, verum hic *Ap. communem legem* non fert,  
ideoque hæc regulamenta inter adiaphora numeranda;  
semper & ubique observanda tamen *institutio Apostoli*.  
*Phil. II, 12.* eum timore & tremore perficit salutem  
vestram. *Heb. XII, 28. 29.* Quis enim non vereatur  
Deum convenire præcipitanter, cuius *Laudes ipsi*  
*Angeli*, nonnisi *velatis faciebus* canunt, *Esa. VI, 2.* *Jer.*  
*X, 7.* & *Apoc. IV, 10.* illi *coronati Presbyteri*, capita  
etiam *coronata detegunt*: & ad cuius præsentiam, uni-  
versæ

versæ ambitus terræ contremiscunt. Jerem. V, 22. Psal. CIV, 9. Esa. XL, 12-18. Quis coram ipso cum timore versari & in quolibet *angulo domus suæ reverentiam ipsi exhibere*: per omnem vitam non discat. Gen. VII, I.

### §. XIX.

Prout itaque de illo *præcepto*, t. Cor. XI, 4. 10. cogitandum est, ita de *mandato osculi* judicandum, postquam in *abusum* vel versum, vel eo spectare videtur, abrogatum tandem est, quo facit *regula*. Phil. IV, 8. t. Cor. XIV, 40. conf. Dissert. Rob. Sbarroc. de habitu C. p. 257. sic de idolatria *imaginum* censendum, quod primitus *imagines* inventi bono proposito, sed demum in *idolatriam* declinato, Ecclesia condemnavit: nempe, præcidi Ap. voluit omnes *occasionses* male cogitandi & loquendi, quæ in tanta Ecclesiæ frequentia, caveri non posset. Hujus Osculi S. Primitiva Eccl. aliquod *vestigium* superest hodie in Eccl. quibusdam *Wallachis & Russicis*, qui festo Pasch. basiant obvios & osculo subnectunt *tesseram*: *Christus D. resurrexit*, reciprocum ab utrisque.

### §. XX.

Cum vero præscribit Ap. *salutare vos O. S. & addit, salutant vos Ecclesie Christi*, intimat, quod non solum mutui amoris Osculi S. debent *Romani Christiani*, erga *præsentes*, sed etiam pro *aliis Eccl. Ch. remotis*



remotis id practicare, nempe Ecclesiæ orientales in  
*Grecia, Asia, Africa, Europa*, ubi aliquid Christi est,  
 jubet hos æque adamare, & pro ipsis omnem prosperi-  
 tatem, osculi S. Symbolo indigitatam apud Deum pre-  
 cari. Eph. VI, 19. Col. IV, 32. Thes. III, 1. 2. Act.  
 XII, 5. & si quo licet favore testari debere, ubicunque  
 fraternitas aliqua Familia Christi. Eph. III, 13. 14. ibi  
 idem cor & anima sit, ut mutuam felicitatem pro-  
 remus. 2. Cor. VIII, 1. 4. 7. 14. 24. Rom. XVI, 24.  
 deque ea lætemur osculo s. cordis. Cant. VIII, 8. soror  
 nobis est parva, cui nondum sunt ubera, quid faciemus  
 sorori nostræ, quo die de ea sermo fit, concilium sollici-  
 tum erit, si fuerit murus fractus. Ezech. XXII, 30.  
 Ps. LX, 4. inedificabimus Palatum argenteum, si obsum,  
 cingemus asperibus cedrinis. Hoc osculum S. mutui  
 amoris missile, hac ætate amplissime præstant, imprimis  
 Ref. Ecclesiæ Anglica, Belgica, Brand. Marchica, Prus-  
 sica, erga sorores Reformatas Eccl. sub cruce gemen-  
 tes, Hungaricas, Polonicas. Tesseræ hujus O. S. erga  
 sorores benigni, faciem certo prætendit hodie Regia  
 Domus Brandenburgico-Prussica, in transplantatione,  
 Eccl. Gallicarum Coloniarum, Saltzburgensem, Bobe-  
 micarumque, ut de ea exclamare liceat illud ivys Matth.  
 XXV, 20. 21. & illud Ecce, קְרָב Cant. IV, 1-14. vide  
 totum Cap. Sed quoniam Oscula S. nostra, ita de-  
 dum efficacia erunt, si rogemus Dominum nostrum  
 I. Ch. ut & Augustam Domum B. P. & nostram Academiam  
 osculetur osculo oris sui. Canr. I, 1. Ps. LXVII,  
 1. 4. CXV, 12-15. CXXXII, 8. 9. 10. 17. 18. ut obser-  
 gnet

gnet amorem suum in nobis, ut securi ejus, possimus expectare cum fiducia diem *Universalis congregacionis Eccl.* dum fideles cum Christo & inter se mutuum *Osculum amoris aeterni* palam contestabuntur, eoque latoi fruentur in aeternum. Psalm.

CXXII, 1. 5. Rom. VIII, 23. 1. Thes. IV, 16. 18.

Apoc. II, 1. 2. 3. 4.

Amen.



## COROLLARIA.

I. *Sicut bona intentio, quodcumque opus, bonum non facit, neque liberat a reatu hominem: ita το Ευεστιον, sciens & volens aliquid agere, non facit ad naturam peccati.*

II. *Imagines S. S. Trinitatis, B. V. Marie, aliorumque Sanctorum, eorumque reliquiarum, vel signum crucis in Templis collicare, easque cultu religioso adorare, splendoris est idolatria. Exod. XX, 4.*

III. *In verbis in jurejurando, amphibologia, equivocatione ad decipiendum proximum*

D uti,



*uti, non Christianæ, sed Diabolice cautio-  
nis ars est.*

IV. Eadem ratione in conversatione Civili vel Ecclesiastica, mendacio officioso & joco rem procurare, Satanica est prudentia. Ps. V, 7.  
Prov. XII, 21. Col. III, 9.

V. Legitimis Ecclesiæ veræ Ministris Potestas Spiritualis, notorios peccatores, & contumaces excommunicandi, tam jure divino, quam humano competit. Rom. XVI, 17.  
2. Thes. III, 14. 15.





00 A 6314

56.

4

41





n. 2627.

**נשיקות דוד ושנה**  
**AMORIS ET ODI OSCULA**  
*Cant. I, 2. VI, 3. Prov. XXVII, 6.*  
**DISSERTATIONE**  
**DE**  
**OSCULO SANCTO**  
*Rom. XVI, 17.*  
**EIQUE OPPOSITO**  
**OSCULO JUDÆ**  
*Luc. XXII, 48.*  
 Eorumque MYSTERIIS, juxta Sacras S. illustrata  
 Christo Domino, Amoris, Gratia et Iræ æternæ  
*Prov. VIII, 21. XI, 20. Matth. V, 19. Deut. XXXII, 34.*  
*Jer. L, 25. Rom. II, 5. 16.*  
**ARCHITHESAURARIO Propitio**  
 Quam sub PRÆSIDIO  
**PAULI. GYÖNGYÖSSI. A PETTYEN,**  
 Illust. Eccl. Engl. Presbyteri S. S. Th. D. et Pr. P. O.  
 h. t. Venerab. Fac. Theol. Decani,  
 DEFENDENS  
**WILHELM. GUSTAV. NUGLISCH,**  
 Palaeo-Marchicus, S. S. Th. C.  
*In Monumentum Pietatis. Pf. XII, 6. 9. Prov. X, 7.*  
 Stipendii Werlieniani  
 In Templo Academ. die XI. Septemb.  
 Anni MDCCXXXVIII. Hora X-XI. publicavit.

RECUSA M D C C X L I. (4)